

**Dissertatio medica inauguralis, de epilepsia puerili : praecipue de tempore,  
quo exhiberi debent anodyna, in motibus epilepticis ... / Francisci Fabricii ...  
pro gradu doctoratus ... eruditorum examini submittit Richardus Russell ...  
Ad diem [blank] Decembris 1724.**

### **Contributors**

Russell, Richard, 1687-1759.  
Fabricius, Franciscus, 1663-1738.  
Rijksuniversiteit te Leiden.

### **Publication/Creation**

Lugd. Batav : Apud Henricum Mulhovium, [1724]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/a5hsavmd>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
**EPILEPSIA PUE RILI,**  
Præcipue de Tempore, quo exhiberi debent  
**ANODYNA,**  
In Motibus Epilepticis.

QUAM,  
ANNUENTE DEO TÉR OPT. MAX.  
*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. FRANCISCI FABRICII,  
S. S. THEOL. DOCT. HUJUSQUE, NEC NON  
ORATORIÆ SACRÆ, IN ACAD. LUGD. BAT.  
PROFESSORIS ORDINARII, UT ET EC-  
CLESIÆ IBIDEM PASTORIS;  
NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,*  
*& Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,*  
**PRO GRADU DOCTORATUS,**  
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,  
*Eruditorum Examini submittit.*

RICHARDUS RUSSELL, Anglus.  
*Ad diem 22 Decembris 1724. horâ locoque solitis.*




*Studio et Vigilantia*

*Lugd. Batav. Istud Henricum Mulhorium.*

Quin etiam subito vi morbi s<sup>e</sup>pe coactus,  
Ante oculos aliquis nostros, ut fulminis ictu  
Concidit, & spumas agit, ingemit, & tremit artus  
Desipit, extentat nervos, torquetur, anhelat:  
Inconstanter & in jactando membra fatigat.

Lucretius. Lib. 3. 6. 486.



DISSERTATIO MEDICA  
 INAUGURALIS,  
 DE  
 EPILEPSIA PUEIRILI,  
 Præcipue de Tempore quo exhiberi debent  
 ANODYNA,  
 In Motibus Epilepticis.

CAPUT PRIMUM.

*De Epilepsia & ejus causis in genere.*

§. I.


 um Infantum illorum, qui integri unius anni ætatem non attingunt, fere maxima pars, a morbis epilepticis interimatur, opus erit non inutile, si pauca de modo Anodina recte exhibendi, & de tempore morbi, in quo maxime convenient, diceremus; nam a recta cognitione hujus rei, curatio ægri præcipue pendet.

A 2

§. II.

## §. II.

Ut recte igitur tractemus hanc rem, necesse est, ut accuratissimas hujus morbi historias perpendamus, utque ad tempus accessionis, statumque infantuli per quosdam dies ante paroxysmum attendamus; nam indicationes curativas esse, secundum statum morbi & symptomata urgentia, inveniemus: quippe in hoc, æque ac in aliis morbis, ea, quæ in principio laedunt, in morbo ad finem vergente saepius juvant.

## §. III.

Haud abs re etiam duco, pauca de causis hujus morborum generis dicere, sententiasque Auctorum de eo enumerare, & postea ab historia evidente morbi, ejus causas, methodosque curationis deducere. Causæ itaque Epilepsiarum, quæ ab Auctoribus recensentur, variæ sunt, & saepius (ut Cl. WIL-  
LISIUS <sup>(a)</sup> agnoscit) Epilepsiarum subiectum vel sedem, ubi materies morbifica præsertim subsistit, reperire difficillimum est; sed in quibusdam corporibus, causa morbi (epileptico emortuo) per sectionem anatomicam reperta fuit: ut in eo cadavere per CAROLUM PISONEM <sup>(b)</sup> secto, in quo posticum caput universum aqua turgens repertum fuit, ut non solum principium nervorum aquæ innataret, sed membranæ ipsæ aqua prægnantes & imbutæ, non secus atque papyrus, aut tela aquæ diu immersa, conspicerentur. Bis etiam obser-  
vavi in hydrocephalo interno, hanc seri colluviem in ven-  
triculis cerebri per longum tempus mansisse, & guttam se-  
renam, Epilepsiamque fecisse, quando vero in ventriculos posticos viam fecisset, & cerebellum compressisset, eo mo-  
mento æger quasi apoplecticus cadens moriebatur. Et HOL-  
LERIUS dicit, se etiam vidisse in occipite cujusdam, vi-  
catochi demortui, plurimum serum, quasi rufum in ce-  
rebro posteriore, una cum sanguine concreto in majore venâ,  
quæ medium caput perreptat.

## §. IV.

(a) Willif. Patholog. Cereb. cap. 2.

(b) Carol. Piso, de morbis a colluvie serosa Sect. 2. part. 2. cap. 7.

## §. IV.

A carie etiam ossium capitis aliquando Epilepsia oritur, sed nunquam ubi ad exitum ichoris, vel saniei via aperta est; nam in fracturis calvariae, in craniis a lue corruptis, quando exitus materiae, prius retentae, datur, remissio est symptomatum. Et hic status erat juvenis apud ZECCHIUM (<sup>c</sup>), qui ab Epilepsia, originem suam ab ichore retento ducente, imperfectus fuit, in cuius capite, ossis posterioris interiorem partem juxta cerebellum, satis notabilem cariem contraxisse, dissecto cadavere notabant Medici. RUMLERUS (<sup>d</sup>) etiam notat in sartore, venerea lue quam maxime laborante & epileptico, calvariae posticam partem exesam repertam fuisse.

## §. V.

His observationibus plane apparet, quod Epilepsia saepissime pro causa habeat quamcunque materiam acrem, quae cerebrum laedit & systema nervorum irritat, per quam lassitudinem vel irritationem secretio, & distributio succi nervosi incerte & indeterminate fit. In contractiones etiam partes tendinosae trahuntur, & paroxysmus formatur ad expellendam materiam vel corpus acre, genus nervosum tam crudeliter & immaniter laedens. Et haec etiam ab Auctoriibus post inunctionem mercuriale obseruata fuere; nam quando particulae mercurii cum salinis spiculis uniuntur, partes sensiles ferociter concutiunt, & sensum exquisitissimi doloris inferunt. Sed quomodo venenati vapores in cerebrum sublevati sint, secundum FERNELIUM (<sup>e</sup>), adeo recte non percipio; nam hydrargyrum, corpus ponderosum, in vapores solo humani corporis calore non potest facile elevari: nec quidem video, quomodo Epilepsia oriri queat ab explosione particularum spasmodicarum, instar pulveris pyrii, nunc in una, nunc in altera parte corporis ingenita, ut Cl. WILLISIUS

A 3

affe-

(c) Zecchius Consult. ix.

(d) Rumlerus Obs. lxv.

(e) Fernel. de Abdit.

afferit. FRANCISCUS SYLVIUS (<sup>f</sup>) etiam copulam illam explosivam censet esse spiritum acidum volatilem, atque adeo minus acrem; quo enim est fixior acidus spiritus, eo existit acrior, quo volatile eo blandior, & vice versa, quo volatile eo celerius operatur, quo fixior eo segnus. Sed SAXONIA (me judice) rem attigit, quando dicit (<sup>g</sup>): *causa Epilepsiae tunc temporis (i. e. in paroxysmo) nulla est alia, quam portio hujus materiae, quæ replet partem sentientem, quam dum natura tentat excutere, motum convulsivum facit.* Et BELLINUS (<sup>h</sup>) in libro de morbis capitum dicit, Epilepsiam in pueris a copia pituitosarum materiarum, & pressione oriri.

## §. VI.

Hactenus de causis externis & evidentibus, quæ Epilepsiam excitant, & pauca de sententiis etiam Auctorum circa hæc adjecimus: nunc autem restat dicendum, quomodo Epilepsia in puerulis producatur. Quod ut ordine fiat, historia morbi locum proximum in hac dissertatione sibi vendicat; hac autem de re noster SYDENHAMIUS tam bene scripsit, ut vix mihi restare aliquid videatur, pauca tamen de iis, quæ & ipse in ægrotis observavi ad pleniorem hujus rei illustratiō nem dicam.

## C A P U T S E C U N D U M.

*De signis Epilepsiae puerili prægredientibus.*

## §. I.

**S**i statum ægri igitur per quosdam dies ante paroxysmum perpendamus, somnolentus, cum globo quasi in guttu re

(f) Fr. Sylv. Prax. l. 2. cap. 2. §. 89.

(g) Saxon. Prælection. Pract. p. 1. cap. 15.

(h) Bellini de morb. capit. p. m. 560.

re ascendente, & alvo constipata invenietur; brevi post (si nulla evacuatio instituta fuerit) pervigiliis, ructibus, torminibus, clamoribusque fere perpetuis infans perturbatur, membraque inferiora, crura nempe, genuaque abdomini suo fortiter attrahit, diarrhoea praeterea ægrum invadit, nulla tamen adhuc Epilepsia adest. De his signis prægredientibus verba facere utile judicavi, quippe SYDENHAMIUS nulla ante paroxysmum symptomata, (quod sciam) diarrhoea, vomitu, & tussi exceptis, memorat.

### §. II.

Attendamus igitur ad morbum in hoc statu, scil. ante paroxysmum, & inveniemus in eo, infantulum plethora, vel signis plenitudinis maxime laborare. FERNELIUS (<sup>i</sup>) inter signa plethoræ somnolentiam recenset: *unde somnus* (dicit) *gravis, profundus & inturbatus.* HIPPOCRATES (<sup>k</sup>) etiam hoc symptoma in lactantibus notat: *sugentes, qui multum laetis adsumunt, ut plurimum somniculosi sunt;* & HOLLERIUS (<sup>l</sup>) dicit: *Epilepsia pueris familiaris ob multitudinem humoris, unde etiam in illis somnus multus & profundus;* & sic scribit ARISTOT. de somno & vigilia.

### §. III.

Ascensus globi etiam in gutture ab eadem causa productus est, ut in *Emmenologia.* Cl. FREIND. nitidissime videre est. Sed hoc evenire potest, a viscida & pituitosa materia, per glandulas oesophagi secreta, quæ propter tenacitatem suam, & propter læsam actionem tunicae muscularis gulæ, non potest vel per vomitionem, vel per sedes facile ejici; nam glandulæ totius ductus alimentalis, in hoc tempore morbi, lentiis humoribus subinde implentur, & si quando infans ad vomitionem incitatur, nihil nisi phlegma spumosum, instar albuminis ovi conquassati, nonnunquam etiam viride ejicit. Medicamenta etiam varia ad hanc rem

mu-

(i) Fernel. de sign. Plethor.

(k) Hippocr. de Dentitione.

(l) Hollerius de morb. intern. p. m. 105.

mulierculæ, infantum custodes, habent, quæ ascensum globi in gutture, inter signa Epilepsiaæ infecuturæ constanter annumerant, et castoreo, tinctura satureiæ, aliisque medicamentis, vel purgantibus, vel calidis, vel attenuantibus, tanquam magnis adversus hunc morbum præsidiis utuntur. Et sane non inconsulto, nam Veteres (m) in curatione Epilepsiaæ (cerebrum frigidum, humidum hujus morbi causam ponentes) in calefacientibus, siccantibus & attenuantibus spem suam locabant, ne scilicet similis materia postea generaretur. Et ea remedia, quæ ab iis laudantur, hanc rem satis luculenter probant, & ad lentorem, a sanguine plethorico ortum, solvendum conducunt. Nam GALENUS in libro de simp. med. fac. dicit: *quæcunque potu juvant epilepticos, facultatis sunt incidentis, tamen quæ vires roborent, non omittenda; cruditas vitetur.* Guajacum etiam, & oleum heracleum Rulandi, de quo præcipue antiepilepticum suum componebatur, eundem effectum præstant; & JACCHINUS, HORSTIUS, aliquique Medici decocto gujaci in comitiali morbo utebantur, ad attenuandum scil. lentorem sanguinis, & ut per diaphoresin totam massam defœcarent. Sane ab his, & a recto rerum nonnaturalium usu, curatio hujus morbi maxime apud Veteres (ut videtur) pendebat. Unde HIPPOCRATES *sub finem capitil de morbo sacro* dicit: „ quisquis autem „ talem mutationem in hominibus novit, & humidum, & „ siccum facere potest hominem, calidum item, ac frigidum „ per diætam; hic utique & hunc morbum sanaverit.

(m) Fernel. de morb. cerebri. p. m. 73.

## CAPUT TERTIUM

*De Constipatione alvi. &c.*

## §. I.

Veniendum igitur ad rem proximam observandam, quæ in ægro ante paroxysmum accidit, scil. adstrictionem alvi, & cuius originem etiam a plenitudine deducere possumus; (o) nam sanguinis motus imbecillior erit a lentore, qui plethorico sanguini necessario accidit, ut Cl. FREIND. accurate ratiocinatur in his verbis: „ hæc quæ a canalibus nimirum oppletis oriuntur mala, ventriculo imprimis & intestinis nocitura, facile sentiet, quisquis vasorum, ad eas partes reptantium, multitudinem pene infinitam perpendat, quippe ob humores plethoricos in ipsis vasorum tunicis quedam quasi inflatio sentitur. Quæ cum spirituum per nervos influxum, uti dictum est, intercipiat, languescit admodum motus ille ventriculi & intestinorum peristalticus, quo in tenue chylum rediguntur alimenta, ita ut his chyloseos instrumentis, ob spirituum inopiam minus vivide se moventibus, non tantum tardius, sed imperfectius etiam comminuantur chylus: unde etiam majore copia intra primas vias accumulatur, & quandam plenitudinis sensum inducit. Adhuc crudior erit & viscidior chylus, si adsit lento sanguinis; cum enim in lentore motus sanguinis imbecillior, & cohærentia multo tenacior, non modo minor spirituum in muscles derivatio, sed minor etiam in glandulis ventriculi & intestinorum liquidi secretio, ita ut alimenta liquido eo, quo humescere et molliri solebant, defraudata, minus rite dissolvi queant, inde longior in intestinis chyli mora, & compages crassior: igitur fere semper mensium suppressorum comes

B

esse

(o) Freind. Emmenologia p. m. 79.

„esse solet alvi pigrities, tum quia motu intestinorum immi-  
„nuto, minus detrusæ sunt fæces, tum quia præ siccitate per-  
„se tardius exire queunt.” Et hoc symptomam est fere perpe-  
tuum in Epilepsia puerili, ut RIVERIUS etiam in *Observa-*  
*tionibus suis* notat; sic enim scribit Eximus Auctor (p):  
*Pueri ferme omnes, qui alvum adstrictam habent, obnoxii sunt con-*  
*vulsionibus, ut ex HIPPOCRATE & experientia didici;*  
*Filius Caroli mei adstrictione alvi perpetuo laborans convul-*  
*sus periit.* Et hæc accidit præcipue in primo mense, vel  
circa dentitionem. HIPPOCRATES quoque dicit (q): „ad  
„dentiendi vero tempus accendentibus gingivarum pruritus, fe-  
„bres, convulsiones, alvi profluvia, maxime quum caninos  
„edunt dentes, & iis præsertim pueris, qui crassissimi sunt, &  
„qui alvo sunt dura. „Et CELSUS (r) fere iisdem verbis:  
„propria etiam dentientium gingivarum exulcerationes, di-  
„stensiones nervorum, febriculæ, alvi dejectiones, maxime-  
„que caninis dentibus orientibus male habent, quæ pericula  
„plenissimi cujusque sunt, & cui maxime venter adstrictus est.,,  
Sed de constipatione alvi satis. Ex dictis autem clarescit,  
unde in Epilepsiis, æque ac in menstruis suppressis, prima  
fere semper sit de ventriculi actione læsa querimonia.

### §. II.

In Epilepsia infantum interdum etiam, ac in adultis, sym-  
ptomata periodice suscitantur, eodem modo, ac in proflu-  
viis mensium muliebrium; „& regit (inquit GALENUS)  
Luna in epilepticis periodis. „Sed de hac re vide C. MEAD  
*de imperio solis ac lunæ in corpora humana, & morbis inde oriun-  
dis,* in quo libro causas hujus rei solita sua perspicuitate tra-  
ctat.

### §. III.

Corpora etiam infantum tenera cum sint, facile disten-  
duntur; & quando infans lacte, cibis farinaceis & aquosis  
nutri-

(p) Riverii Observat. Obs. commun. 50.

(q) Hippocrat. Aph. Sect. III. Aph. 25.

(r) A. Corn. Celsus, Med. p. m. 46.

nutriri incipit, incrementum corporis subitaneum est, (ut in primo mense) & natura in expulsione redundantium quotidie occupatur, tunc temporis itaque materia olens pone aures secernitur, & interdum maculae rubellæ per totam cutem sparsim diffunduntur, & si (a frigore recepto) intus iterum vertuntur, alvus liquidior fit, tormina & diarrhoea, cum dejectionibus viridibus (æque ac in hysteris) sequuntur, & forsitan infans epilepticus fit. Nec in hoc errat BAGLIVIUS, (s) dum quendam mirum consensum inter morbos nervosos, & cutaneos agnoscit; nam infantes, quibus crustæ scabiosæ in capite superveniunt, raro corripiuntur motibus epilepticis. Et TRINCAVELLIUS (t) sic scribit: patrem & filium scabie laborantes & inunctos, recedente scabie Epilepsiam incurrisse. Et HIPPOCRATES, exquisitissimus rerum perscrutator, eandem rem in pueris observavit, nam in libro de morbo sacro dicit: & quibusunque quidem pueris existentibus erumpunt ulcera in caput, & in aures, ac in reliquum corpus, & qui salivosi fiunt, ac mucosi, hi ipsi progressu ætatis facillime degunt: hic enim abit, ac purgatur pituita, — & qui sic purgati fuerint, comitali, sive sacro morbo fere non apprehenduntur; qui vero mundi sunt, & neque ulcus ullum, neque mucus, neque saliva ulla prodit, — talibus periculum imminet, ut ab hoc morbo corripiantur. Et AVICENNA etiam notat, ab Epilepsia fere tutos esse, quibus in capite fiunt ulcera, apostemata, fluxus narium; & historia puellæ in DURETO (x) hanc rem probat: cum suppressus fuit (inquit) multus humor, qui per achores e capite exsudabat, illa in Epilepsiam incidit, totoque corpore convulsa est, per humoris metastasis, nos capiti admovimus folia betæ calida, indeque exsudavit humor ille morbificus, & symptomata omnia quieverunt.

## B z

## §. IV.

(s) G. Bagliv. Praxis. p. 114.

(t) Trincavellus L. 2. cap. 6.

(x) Duret. cum Holler. de morb. intern. p. m. 112.

## §. IV.

Notandum est etiam, quod ventriculus, intestinaque puerorum non semper in hoc morbo ægrotent, sed tussis, cum secretione glandulari, paroxysmo epileptico prægrediatur, SYDENHAMIO teste; nam fluida aucta, æqualiter & undequaque prementia, per vias patentiores, & ubi resistentiae minus est, decurrere solent: ut in iis, quibus pulmones teneri vel læsi sunt, apparuit.

## §. V.

Epilepsia per diminutionem quantitatis etiam fluidorum, vel per aliquam secretionem in corpore ortam feliciter sanitæ fuerunt: ut JOHANNES RHODES (<sup>y</sup>) in puero Bononiensi observavit, qui ab Epilepsia missione sanguinis liberatus erat, historiaque Nobilis Patavini, qui a BENEDICTO SALVATICO curatus erat, apertis quovis mense venis hæmorrhoidalibus, id docet. HIPPOCRATES etiam & CELSUS hanc rem plane testantur, nam HIPP. (<sup>z</sup>) dicit: *Epilepsia quibus ante pubertatem contigit, mutationem recipit, quibus post vicefimum vero quintum annum, eos fere comitatur ad mortem usque.* CELSUS (<sup>a</sup>) etiam in capite de comitali morbo inquit: *& eum si remedia non sustulerunt, in pueris veneris, in pueris menstruorum initium tollit.* Et in CÆLIUS AURELIANO (<sup>b</sup>): *solet denique hæc passio pubertatis tempore, sive novæ purgationis in fæminis aut primi partus, quædam naturali novitate facile detergeri, corporis mutatione sufficita.* Sed vid. MEAD in L. de imper. sol. &c. quomodo hæc symptomata a plethora evenire possint. Quare de somnolentia, de globo quasi in gutture, de constipatione alvi, & pauca de plethora, vel plenitudine, & de lentore satis dixi, nihil vero addidi, nisi quod ad historiam hujus morbi pertinueret.

CA-

(y) Johannes Rhodes obs. med. &c.

(z) Hippocrat. Aph. 7. 35.

(a) A. Corn. Cels. med. cap. de comit. morb.

(b) Cælius Aurelian. de Epilepsia,

## CAPUT QUARTUM.

*De Diarrhoea, aliisque Symptomatibus a Retentis,*

&amp;

*De Chylo in Acidum mutato.*

## §. I.

**H**actenus de signis diarrhoeæ prægredientibus; nunc restat, quomodo tormina, flatus, ructus, vomitus, clamores, pervigilia, diarrhoea, & motus epileptici excitentur, ut ostendamus.

## §. II.

In adstrictione alvi flatus facile producitur, nam (<sup>c</sup>) in massa chylacea retenta, sicut in aliis liquoribus stagnantibus, putredo gignitur, & si post distributionem succi nutritii faeces residuae non evacuantur, in acredinem eunt, & alimenta in visceribus aggesta, vaporum congeriem, quasi ventum, constituunt, qui ventus intestina s<sup>e</sup>pe inflat, ac distendit, & per datam viam quamcunque ruens, secum excretiones promovet, conclusus vero tormina, & non raro ventris inflationem creat.

## §. III.

Sed ventriculi & intestinalorum tormina, a retentione aëris non solum oriuntur, sed a distractione fibrarum canarium sanguine plethoricodistentorum, & a chylo jam in acidum mutato, qui pungit, vellicat, laeditque partes nervosas & sensiles intestinalium, fibræque eorum stimulatæ se contrahunt: unde humorum fluxus ad intestina augetur, & secretiones, quæ exinde pendent, copia majori fiunt. Ab hoc stimulo vo-

B 3

mi-

(c) Willif. Pharm. Rat. de purgat.

mitus & diarrhœa, cum dejectionibus viridibus facile oriuntur, quarum forsitan ope sanitatem iterum recuperabit æger, modo his uti probe noverit; (<sup>d</sup>) per ductus enim intestinales, veluti per sentinam, non raro totius impuritates corporis expurgari solent, quæ siquidem intus manentes, vel copia turgent, vel acrimonia nocent, & sic alvum vel lubricando, vel stimulando, dejectiones crebriores ac uberiore scient: & in hoc statu sanguinis lentores per alvum potius, quam per habitum corporis, aut urinam expurgari apti sunt.

#### §. IV.

His secretionibus continuatis, si sensus doloris non sopitus, (<sup>e</sup>) violenta, invita, & alterne repetens contractio oritur, quæ convulsio vocatur; & raro aut nunquam in pueris ante diarrhœam invenitur, SYDENHAMIO teste. Si attendamus etiam ad experimenta WEPFERI accuratissima, in animalibus instituta, vomitus, tormina &c. ab acri quadam materia, vellicante ventriculum intestinaque, produci invenimus. Et sectio anatomica eandem rem probat. Nam in cadaveribus puerorum epilepticorum intestina saepius erosa, inflammata, & interdum gangrenosa esse observatum est, ut apud HARDERUM (<sup>f</sup>): (infante epileptico emortuo) abdomine aperto intestina admodum erant distenta, crassa que cum tenuibus materiam viridem, grumosam, qualem in vivis cum torminibus acerrimis saepius excrevit, monstrarunt, intestina tenuia heic illic qualemcumque ruborem conceperant, præprimis autem sub finem ilei ad aliquot uncias manifestam gangrenosin deprehendimus. Nec mirum est, tam dircs affectus ab his causis produci; nam a perturbationibus ventriculi atque intestinorum, symptomata pessimi generis oriuntur, præcipue Epilepsia, quæ etiam a radicibus oenanthe, vel de cicta aquatica in ventriculum sumtis producitur, ut a WE-

PERO

(d) Idem ibidem.

(e) Boerhaave Aph. §. 230.

(f) Ioh. Iac. Harderus in obs. med. quib. tit. apiar.

PFERO<sup>(g)</sup> observatur, in quibusdam puellis, quæ a radicibus cicutæ commestis Epilepsis gravioribus corripiebantur, et Cl. MEAD in libro *de venenis*. Non mirum igitur, si in his circumstantiis sensus in toto perditus est, & ab auribus atque nafo sanguis profiliat, partibus distractis, & convolutionibus laceratis, quæ tanquam in musculis abdominis incipiunt, ad membra postea extenduntur, & machina concussa, & in toto subversa est. His atque aliis observationibus hujusmodi, Aphorismus sequens *Insignis & Eruditissimi Viri H. BOERHAAVE*, Promotoris mei summopere venerandi, facillime propugnatur<sup>(h)</sup>: *insultus porro epileptici hinc plerumque originem ducunt, irritato genere nervoso, ope acrimoniae vellicantis.* Et in alio loco ejusdem capititis de morbis infantum, semina hujus morbi quasi ante oculos nostros denudat; dicit enim: *multum patiuntur ab ipso late, dum id nimis cito, fortiterque in stomacho coagulatum, compingitur in unam massam gravem, acremque. Hæc enim sensim acrior acidiorque reddita, fæces alvi virides, acidum spirantes, materiam vomitu rejectam acidam, hinc tormina, flatus, dolores, & infinita alia excitat, maxime convulsiones.* Nam hæc mala in adstrictione alvi lactantibus necessario accidunt, his stimulis etiam contractio fibrarum perpetuo augetur, & paroxysmus epilepticus formatur.

## C A P U T Q U I N T U M.

*De Paroxysmo Epileptico Puerili.*

## §. I.

**S**YDENHAMIUS Epilepsiam puerilem tam accurate describit<sup>(i)</sup>, ut nihil mihi restet, quam ut ejus verba hic ad-

(g) Wepferus de cicut. aquatic. p. m. 26.

(h) Boerhaave Aph. de morb. infant.

(i) Sydenham. process. integ.

adscribam: "Epilepsia igitur (dicit SYDENHAMIUS)  
" puerorum, vel primo mense aggreditur, a frequentibus  
" nimis alvi dejectionibus, vel dentitionis tempore, a se-  
" ptimo ad decimum mensem, & tussi comitata est, aut  
" (quod multo deterius) vomitu & diarrhoea, viridia (ut so-  
" lent hystericae) egerente infante, quandoque improviso oc-  
" cupat paroxysmus, os, oculosque distorquens, nigredine  
" vultum profundens, & artus vario convellens, quandoque  
" praesentitur ex digitorum in pugnum contractione, & ex  
" stabili, & insolita oculorum orbitalium immobilitate, nunc  
" serius, nunc ocyus se proripiunt paroxysmi, certa subin-  
" de periodo, vago alias insultu revertentes, sed appetente  
" morte, a tergo se invicem premunt: si quando inducias  
" dent, in soporem proclives sunt infantes, donec a novo  
" resuscitentur insultu. " Hactenus SYDENHAMIUS  
mira perspicuitate & integritate solita. Nam si hi spasmi  
non sedati sunt, æger a paroxysmo rediens, novum paroxys-  
mum indesinenter tere patitur, oculi plumbeo colore orbis-  
culati sunt, & unguis interdum superiori parte, qua cum  
cuticula uniuntur, nigrescunt: nervorum distensiones, rigo-  
resque semper adsunt. & totum animal summe torqueri vi-  
detur, nulla fere est intermissio, sed insultus violentius re-  
deunt, & nisi spasmi sedati sint per aliquod medicamentum,  
aut febris oriatur, quæ multo sudore terminetur, sævitia  
symptomatum mortem accelerat. Et observavi, quod,  
quando infans ex. gr. sub hoc plenilunio Epilepsia corre-  
ptus est, & tunc temporis febris oritur, paulo post sudores  
fluunt, & sic evadit, hic infans tunc perfecta sanitate gau-  
deat: sin vero hæc febris, & hæ secreciones non eveniant,  
& poroxysmus cum spuma oris sola terminetur, quod tunc  
non sufficiat, nec liber sit æger, nisi per brevissimum tempus,  
& forsan intra mensem hæc series symptomatum de novo &  
violentius revertatur, eodem modo ac prius terminatura. Et  
res fere semper sic se habet in Epilepsia infantum; nam in  
Epilepsia nescio quid acre est, quod natura sine fructu excu-  
tere tentat, antequam febricula oriatur, & materiam perspi-  
ra-

rabilem reddat, omnesque evacuationes, iis solummodo, quæ per cutem fiunt, exceptis, sistit, vel minuit. Unde HIPPOCRATES (<sup>k</sup>): *febrem convulsioni supervenire satius est, quam convulsionem febri;* & (<sup>l</sup>) in libro de *judicationibus* dicit: *a convolutione aut distensione nervorum vexato, febris accedens, solvit morbum;* & in capite de *dentitione* dicit: (<sup>m</sup>) *quibus in dentitione febris acuta accidit, parum convelluntur.* Et apud BARTHOLINUM (<sup>n</sup>) etiam historia puellæ epilepticæ, quæ a combustione in manu facta febricitavit, & ab Epilepsia liberata fuit, ad hanc rem facit. HOLLERIUS etiam sic scribit (<sup>o</sup>): *Epilepsia solvit aliquando mutata ætate, virtus ratione, & superveniente quartana.*

## CAPUT SEXTUM

*Analogia inter Diarrhœam Epilepticam, & Ejecções Colicam, Hystericam concomitantes.*

## §. I.

Sed nunc ad considerationem analogiae, quæ est inter diarrhœam epilepticam, & ejectiones colicam, hysterica concomitantes properemus; nam symptomata in singulis fere eadem inveniemus: 1, dolorem ventriculi infantes æque ac hysterica percipiunt, ut clamores, & ad ventrem contractiones membrorum inferiorum testantur; 2, ejectiones etiam coloris viridis in hysteris per vomitum materiæ, quæ ab infantibus per os & sedes secernitur, exacte respondent; 3,

C Epi-

(k) Aph. 26. Sect. 2.

(l) Hipp. oper. omn. p. m. 447.

(m) Hippocr. oper. omn. p. m. 590.

(n) Bartholin. Cent. 2.

(o) Hollerius de morb. internis p. m. 105.

Epileptici etiam meticulosi sunt, & vidi puerum epilepticum in paroxysmos de novo incidisse a sonitu portæ tantum, quæ violenter claudebatur, cui sono infans assuetus non erat, eodem modo, ut in hysteris paroxysmus renovatur, per quandam repentinam animi perturbationem. Ex his, ac ex aliis etiam circumstantiis, affinitatem inter has affectiones facile probaremus, quam ipse SYDENHAMIUS etiam testatur his verbis: *annon & infantes in paroxysmis convulsivis, in quibus spirituum animalium maxime res agitur, tam per superiora, quam per inferiora, materiam ejusdem plane coloris (ac fœminæ in colicis, hysteris) ejiciunt.* Evacuationes etiam per vomitum, vel sedes, in hoc tumultu singulis hisce morbis male cedunt, & symptomata per eas maxime irritantur; nam acidum in Epilepsia (inquit WALDSCHMID) curatur alterantibus. Salia volatilia, sal. vol. ol. salia fixa, & quæ infringunt acrimoniam, v. g. limat. martis, margarit. præparat. ocul. cancr. creta, corallia, rasur. ebor. ungul. alcis, fæcul. pæoniæ, emulsiones, opiate, diuretica, sudorifera, vomitoria & purgantia acidum educunt, (temperato prius humore acido) quia nulla purgantia humores acidos blande educunt, nam omnia hæc in curatione Epilepsiae adhibentur. Experientia quoque (SYDENHAMIO teste) clamat, quod post primas evacuationes universales, (quæ humorum putrescentium, quos peperit ataxia jam sæpe dicta, quique anodynus obstaculo esse possunt, saburræ amoliendæ dicantur) nihil jam restet, nisi ut tumultuantes spiritus consopiamus, donec tandem symptomata evanuerint. Et in alio loco dicit: „affirmo, evacuationes sæpe repetitas, dolorem & vomitum non solum non compescere, sed irritare magis, „spirituum scil. perturbationem, quæ vera horum symptomatum causa est, promovendo; tandemque malum prolongatum, metathesi derepente in cerebrum facta, desinit in spasmos, a quibus æger brevi e medio tollitur: id que vel maxime, ubi post alias evacuationes, diutius repetitas, suadente colore viridi eorum, quæ per os e ventriculo excernuntur, emeticum fuerit propinatum. „Et mihi

mihi verisimile videtur, evacuationes, quæ licet epilepticis ante paroxysmum multum juvaminis adferunt, si aut nimia quantitate, vel in paroxysmo, aut post largas secretiones institutæ fuerint, sæpius ægrotos jugulare. Et egomet puerum epilepticum vidi, cui post diarrhoeam clyster injiciebatur, & qui statim dein novis paroxysmis corripiebatur, & ab imminenti mortis periculo, solo Anodynorum usu liberabatur, integra postea sanitate fruens. Ab his etiam evacuationibus symptomata semper augmentur, ejectionesque per vomitum, & sedem discolores sunt, ut SYDENHAMIUS etiam observavit in epistola ad Dn. COLE: quibus addendum est (dicit SYDENHAM.) id, quod experientia ferme quotidiana docet, si quantumlibet ejusmodi sive fæminas, sive infantes, iterata catharsi exhauserimus, attamen color jam dictus in eis, quæ vel per vomitum, vel sedem exeunt, usque visetur. Sed de paroxysmo in puerulis & de evacuationibus satis.

## CAPUT SEPTIMUM,

*De Tempore Anodynis utendi.*

## §. I.

**N**unc igitur ad curationem hujus morbi veniemus, & ad tempora opiatis tuendi, quæ in hoc statu morbi plane indicantur. Sed indicationes curativæ variæ sunt, secundum statum morbi & symptomata urgentia.

## §. II.

Nam ante diarrhoeam venæ sectio, vel per phlebotomum, vel per sanguisugas, (si plethora adsit) habet locum. Veteres etiam in hoc morbo sanguinis detractionem diversimode moliebantur: 1. per phlebotomum, quando vena scalpello seca-batur; 2. per cucurbitas, cum scarificatione occipiti, collo, vertici & temporibus apponendas; 3. & si in aliqua parte capitis, gravedo, vel dolor, aut punetio, aut torpor occur-

C 2 rerit,

rerit, sanguisugæ circulatim apponendæ erant. Inter remedia etiam Empiricorum incisio integumentorum capitis ad formam literæ  $\ddagger$ , inustio, & arteriotomia recensentur. Inter eos etiam quæstio erat circa tempora mittendi sanguinem, aliqui Medici statim phlebotomandos probant, sicut etiam Thessalus se velle demonstrat, aliqui prima diatrito (p) servandum existimant: & aliæ distinctiones hujus generis in adultis observatæ fuerunt. Sed in tenellis curatio per nutricem maxime tentabatur, jubebant enim eam Medici a lavacro abstinere, atque sine vino, atque carnis esu perseverare, tum deambulationibus, atque exercitio levi gestari, quod humeros magis exerceat, ut est spheræ ludus, vel exultationis cuiuspiam, item ut cibum sumeret succi facilitioris, vel interea mulsum &c. quæ cum multis aliis de modo infantulum tractandi, in CÆLIO AURELIANO videri possunt.

### §. III.

In constipatione alvi, varia medicamenta cathartica, etiam in usu erant apud Veteres, sed nulla ex his (nisi lenia) infantibus propinabantur; & cum illam tantum Epilepsiam, qua illi laborant, tractandam sumserimus, satis erit observare, quod hæc adstrictio alvi, & symptomata inde oriunda, in causa fuerint, cur Auctores multi existimarint, Epilepsiam a stomacho læso produci; & BAGLIVIUS etiam dicit (q): *omnes fere convulsiones infantum a stomacho fiunt, unde quoque ab iis statim liberantur, lenium purgantium, præsertim vero infusi rhabarbari ope.*

### §. IV.

Sed in Epilepsia puerili (diarrhœa concomitante) evacuationes per catharsin lœdunt, & Anodyna æque ac in colica, hysterica exhibenda. In hac praxi etiam SYDENHAMII sectator sum, nam in Epilepsiis puerorum ille ad Anodyna perfugit; & sane usus opiatorum in nullo morbo planius indicatur, quam in convulsionibus a dolore ortis. His perpenfis

(p) Cælius Aurelianuſ in cap. de Epileps.

(q) Bagliv. Prax.

pensis, tempus magis idoneum opiatis utendi, in diarrhoea, & in paroxysmorum intervallis inveniemus; nam in his recte administrantur illa, quorum ope motus epileptici sustolluntur, dolores sedantur, diarrhoea cohibetur, & humores per poros cutaneos eliciuntur, præcipue si opata, cum diaphoreticis, & antacidis miscentur. Unde BAGLIVIUS dicit (r): *& sane in colicis diaphoretica, cum opiatis mixta felicissima sunt;* unde etiam usum sp. corn. cerv. & gutt. Goddardian. in hoc morbo vidimus, quæ & antacida, & diaphoretica sunt. Confiteor tamen, in morbis infantum cujuscunque generis opata raro, & non sine summa cautela exhiberi tuto posse: sed post diurnas evacuationes, in summis doloribus, spasmisque iteratis, si Anodyna non propinentur, nihil expectandum est, sed symptomata nuper memorata, scil. flatus, ructus, tormina, vomitus. clamores, pervigilia, diarrhoea, & motus epileptici cum morte terminantur; nam si hæc non sedantur, nullum tempus in futuro pro medicina est, sed æger vribus prostratis debitum naturæ ultimum solvit. Ad horum quoque symptomatum lenimen, SYDENHAMIUS, & diacordium, & laudanum in Epilepsia puerili exhibebat. NICOLAUS FLORENTINUS etiam mithridatum, & theriac. Andromachi. HARTMANNUS laudanum antepilept. suum, & Clar. LUDOVICUS opium ipsum caute sumendum dedit. FONSECA (s) etiam in Consult. Med. de oleo buxi dicens: *mirabile enim est hoc oleum in Epilepsia,* (dicit) *quia narcoticum est: nam narcotica sensum stupefaciendo solent prohibere accessionem,* & est unus curandi modus ipsius Paracelsi. Sed verbo dicam, (t) narcotica relinquenda in paroxysmo, ast extra paroxysmum multum prodest moderatus, specificis mixtus, illorum usus.

## §. V.

Alteram curationis methodum variæ gentes agnoscent,

C 3

scil.

(r) Baglivi de colica.

(s) Fonseca Consult. med. p. m. 120.

(t) Decker not. in Barbet. de Epileps.

scil. inustionem & fontanellas, ad cohibitionem plethoræ de novo orientis. De usu eorum inter Ægyptios vid. PROSPER ALPIN. *De Med. Ægypt.* BORELLUS etiam historiam narrat de epileptico per cauterium applicatum curato. JOB. a MECKREN per cauterium actuale suturæ coronali adhibitum: de qua operatione vid. AQUAPENDENS *Oper. Chirurg. P. I. C. I.* . aliæque historiae de felici successu cauterii, ubique fere apud Auctores inveniuntur. Et HILDANUS dicit: *cauterium nuchæ inustum, tribus vel quatuor diebus a nativitate, est tam frequens in quibusdam regionibus, ut Florentiæ vel nulli, vel certe pauci sint pueri, qui hanc Chirurgiam evadunt, quæ uti tutissima est, ita strenue humores pituitosos, supervacuos, in cerebro consistentes, revellit & expurgat.* DURETUS etiam in libro de morbis internis sic scribit: *valent ad eam rem (Epilepsiam) pyrotica, escharotica, pone aures, aut capitis postico admota, quod Senenses omnium primi frequentissime dicuntur esse experti, unde expurgatur materia quæ Epilepsiam erat productura.*

Restat igitur dicendum

1, De fontanellis, & ulceribus in cute factis, & quomodo insultus Epileptici per ea prohibeantur.

2, De medicamentis etiam, quæ specifica dicuntur, scil. de ungul. alcis, visco quercino, cinnab. nativo, rad. pæon. maris, valerian. sylvestr. &c.

3, De opio, & cort. Peruvian. qui est in secretis quorundam Medicorum contra paroxysmum redientem, & quomodo agant in lentore sanguinis.

4, De absurditate etiam amuletorum aliorumque incredibilium, quæ hodie ad captum vulgi venduntur. Exempla de quibusdam amuletis cum characteribus suis, in metallis & lapides sculptis, vid. apud MARCELLUM EMPIRICUM & TRALLIANUM: mihi satis sit dixisse, *de Anodynis in Epilepsia puerili, & in quo tempore morbi convenient.*

F I N I S.

